



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Symma Practica Theologiae Mysticae**

**Gelen, Victor**

**Coloniae Agrippinae, 1652**

Articulus Tertius. Quod Transformationis modi descendantis velle, & posse, cum sint vnum, peragantur ordinariè suaui mentis excessu.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9766**

affici vult, sicut potest: idque ordinata intentione maioris radicationis in charitate. & ideo in hoc statu Deus est sicut Terminus à Quo, scilicet respiracum vitæ, seu vitaliter diuinum affici, per actualem vsum charitatis suam originem sumit, vt ex eo, cœu ex viua radice intellectus agens absque ullo negotio, imò summa, & quali innata facilitate species pro Hic & Nunc proportionata desumat, ad formandum verbum mysticum in intellectu patiente, quo usque & huius & illius operationes, per superexcedentem amorem conquentur. idque tam diu, totque annis, donec à summa spiritus regione, per medium, ad infimam, eiusque ultimas abyssos descenderit. vt autem Transformationis descendenter felicitas penitus intelligatur, dicimus consequenter,

*Quod Transformationis modi descendenter velle, & posse cum sint unum, peragantur ordinariè suam mentis excessu.*

#### ARTICVLVS TERTIVS.

**D**VPLICITER [amor diuinus & ecstasis facit, non sinens amatores esse suitoris; sed in ius eorum quæ amantur penitus transferens.] primum quidem, cum ita affectus & cogitatio amantis transfertur in dilectum, vt sui, & rerum suarum obliuiscatur, suaque omnia negligat. tunc enim anima cogita-

tione, & affectu extra se egressa, tota in rebus dilecti versatur, vt iam non in suo corpore, & in se viuere videatur, sed in dilecto. & dilectus in ipsa. hoc modo diuinè dictum ab Apostolo. viuo ego, non iam ego, viuit verò in me Christus. ita enim cogitatione, & affectu erat in Christo, & Christi causa; vt eorum quæ ad sua commoda, honorem, vitamq; pertinerent, prorsus videretur oblitus. Alter modus quo fit Ecstasis vi amoris, est, cum ita mens in Deum per contemplationem, & amorem trahitur, vt functiones virium inferiorum, præserrim sensuum, cessent: sic vt homo nō videat, nec audiat, nec sentiat quidquā, & interdum etiam vitalis facultatis operatio ita intercipiatur, vt vix discerni possit an adhuc viuat. hoc modo multi Sanctorum vi contemplationis, & amoris, perfectam, & mysticam ecstasi passi sunt.

Quia verò etiam absq; amore diuino, sola vi contemplationis huius secundi modi, ecstasis fieri potest; idq; ex imperfectione quadam, & imbecillitate naturæ quando sc. tota eius vis expeditur, & veluti exhaustur circa aliquod obiectum; vel quando vires inferiores destituuntur spiritibus ad functiones earū necessarijs, dum hi omnes sursum trahuntur, vt imaginationi, & contemplationi illius obiecti seruant: nos supra b de Ecstasi fucata, & dolosa; infra c autem de vera, mystica & sancta, ad praxis cautelam dicere voluimus.

Hhh 2

Iam

\* S. Dion. c. 4. de diu. nom. b 1. p. Dec. 7. a. 7 & d. 8. a. 2. c Lcc. 9. a. 4.

Iam verò & quidem hoc loco de primo modo ecclasis, seu prout ordinariè sit suauis mentis excessu, intelligendi sumus. verè namque in toto statu Transformationis modi descendantis, licet vel decem annis duraret; [diuinum lumen benignè semper a mentis oculis patet, & eis illud capere licet, cum præfens sit, paratissimumque semper ad sua communicanda opera.] & cum [ aliqua inchoatio b beatitudinis sit in hac vita in virtutis perfectis.] nunquam eiusmodi felicitas, si ordinarium attendatur, & prout habitus dat facile, & delectabiliter operari; verius, ac realius quam in statu Transformationis modi descendantis contingit.

Ibi enim cum [ sponsi c amplexibus anima deuota inhianter inhæreat, incipit inter eius brachia quodammodo consopiri; sicut potatus nobili vino in soporem resolutur, ut non solum delectabiliter; sed & tenaciter Deo inhæreat, & quasi vi quadam abstrahatur ab omni visibilium sensu, & memoria; sic tamen temperatè, ut nec plenè suimet oblita, nec tamen verè compos sit fui, iuxta illud Psalmi. si dormiatis inter medios terminos cœli, & mundi. Item Cantic. 5. Ego dormio, & cor meum vigilat, est enim talis iste somnus, sicut illorum qui incipiunt dormitare, & tamen videntur sibi ea quæ circa se fiunt aliquo modo sentire, & intelligere. sed per soporem non aduertunt, nisi velint sibi vim facere, ut ad se pleniùs reuer-

tantur. amor enim Dei cū pura intelligentia conditus, inebriat mentem, & ab exterioribus abstractam sua virtute Deo conglutinat, & coniungit, & quantò amor vehementior, & intelligentia lucidior, tantò validius in se mentem rapit, quo usque tandem omnium quæ sub Deo sunt plenè obliterata, in solo diuinæ contemplationis radio liberè figatur, licet breviter quasi in quodam corusci luminis cœlitus emicantis. quia corpus, quod corruptitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa simul cogitantem.]

Et certè [ cum cœperit d mens per puram intelligentiam lemetiplam excedere, & illam incorporeæ lucis claritatem tota intrare, & in his quæ intrinsecus videt, quandam intimæ suavitatis saporem trahere, & ex ea intelligentiam suam condire, & in sapientiam vertere. in tantum in hoc mentis excessu pax illa, quæ exuperat omnem sensum, inueniatur, atque obtinetur; ut fiat silentium in cœlo quasi hora dimidia. ita ut contemplantis animus nulla alterantium cogitationum tumultuatione turbetur: nihil inueniens, quod vel per desiderium petat, vel per fastidium arguat, vel per odium accuset, sed intra contemplationis tranquillitatem totus colligitur, intromittitur in quandam affectum multum inusitatum, introrsus ad nescio quæ dulcedine quæ si semper sic sentiretur, profecto magna

a S. Dion. de Eccl. Hier. c. 2. p. 3. b S. Thom. I. 2. q. 3. a. 3. c. c S. Bonav. 7. Proff. Relig. c. 1. ¶ Hugo de S. Vict. I. 2. de Anim. c. 20. & S. Bern. ser. 3. in Cant.

magna felicitas esset; nihil sensualitas, nihil illuc agit imaginatio: sed omnis interior vis animae proprio interim videtur officio. prius autem animae pars in illud intimae quietis secretum, & summe tranquillitatis arcanum felici iucunditate introducitur. viuus quidem sermo est Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio apercipi, ita ut pars inferior componatur ad summam pacem & tranquillitatem, pars autem superior ad gloriam, & iucunditatem.]

Eiusmodi porro iucunditas, tanquam beatitudinis quoddam gaudium formaliter consistit in quadam vitali suavitate, quæ ex amore ad præsentiam boni amati per modum passionis resultat; & est tanquam complementum motuum animi, & ultima perfectio. ut ideo tantum ament quantum vident, & tantum gaudeant quantum amant. Et cum [in perpetuis] (circa quæ mysticus hoc loco circumvolutiones suas iucundissime perficit) non differat esse & posse.] oportet utique velle, & posse, diligere, & intelligere, omnino paria, & inter se commensa esse. [ velle autem b quod Deus vult, hoc est iam Deo similem esse; non posse velle nisi quod Deus vult, hoc est iam esse quod Deus est, cui velle & esse id ipsum est. & his potestas data est filios Dei fieri, non quidem ut sint Deus; sed sint tamen quod Deus est.] ac demum [per sui c puritatē homo adeò in Deum supra terrena omnia iuxta quandam similitudinem An-

gelicam rapitur, demergiturque, sicque intus Deo depingitur; ut quidquid foris suscipit, diuinum in ipso reddatur ob hunc animi raptum; ut siue comedat, siue bibat, siue dormiat, siue vigilet, aut quidquid deum agat, cuncta ad summam Dei laudem, & gloriam perficiat.] atq; [ hisce hominibus d nulla est reuelatio necessaria, neque supra sensus rapi habent opus: quandoquidem vita, conuersatio, & habitatio eorum supra sensus, & portionem sensitivam, in spiritu agitur:] non quidem violenter, & cum formali ecstasi, sed suavi mentis excessu. quo [ mens contemplantis tam profundè in Deum subleuatur, quod ipsa viuacitas intelligentiae & diuinitus irradiaeta metas humanæ industriae transcendet, licet tamen in mentis alienationem non transeat. ita quod, & supra se sit quod videat; & tamen ab assuetis patitus non secedat

Iam verò singulariter obseruandum venit, quod quando dicitur mysticum sic posse sicut vult, & quod sicut velle, sic & posse adiaceat; hoc non esse intelligendum quasi ipsius velle & posse ad æquemus diuino posse, & velle; sed solum in actu mystico: & hoc non simpliciter, & absolute; sed quando dono sapientiae supernaturalis à Deo dignatus, & ad operationes substantijs separatis conformes admisitus fuerit. quæ omnia etiam secundum actus exercitos, & transeuntes, semper accipienda, & intelligenda sunt; non autem secun-

H h 3

dūm

<sup>a</sup> S. Thom. cont. Gent. l. 2. c. 91. <sup>b</sup> S. Bernar. epist. ad Frat. de mont. <sup>c</sup> Taul. serm. 2. in Paræ. <sup>d</sup> Russbroch. de ornat. spir. nupt. l. 2. c. 38. <sup>e</sup> Harph. l. 3. p. 5. c. 37.

dùm supremam, aut medianam spiritus regionem aut habitationem; vnde etiam consequenter dicimus,

*Diuinorum quantumcumq[ue] prestantem animum, à supremis per medias ad infimas fruitionis regiones paulatim descendere.*

#### ARTICVLVS QVARTVS.

**P**Ræter ea quæ supra dicta a sunt, aliud ad præsens non facit, nisi vt mysticus absque timore alicuius imperfectionis, securè, & quietè fieri sinat, quod summa illa, & ineffabilis, spiritus proprij in spiritum diuinum transformatione, modi descendantis, quandoque deficiat: & ordinate per medias ad infimas regiones descendant: nec ex eo dubitandi ansam accipiat, quod status hic in suo forte summo ad duos, vel etiam plures annos perseverauerit, & totidem in medio, ac tandem magis ac magis ad infima descendant. huius enim vicissitudinis b[ea]tus ordo spiritualem perfe-

ctum quam maximè facit, & in reali praxi, ac omnimoda Dei sequela ad oculum patet illis mysticis, qui spiritum Domini supra omnia habere conati fuerint.

Interea verò tam felix, atque amicissima diuini consortij familiaritas, cum ex dono habitus supernaturalis procedat, ita vt ea mysticus ad libitum, (licet non semper æquè intensè, & à materialibus abstractè) vii, & frui possit, & continuò in quadam Dei obumbratione versetur; nullatenus permittit vt diuinorum patiens, ad propriam sui ipsius soleitatem, seu molestam, & quasi dilacerantem amoris carentiam decidat; nisi fortè per accidentem, & tardò admodum. vnde hoc loco pro maiori notitia tantum insinuari debuit, illam, in statu præsentí tardò contingere. Hisce porro de statu Transformationis modi descendantis breuiter dictis, ad statum Transformationis modi ascendentis, procedendum erit.

a Nicart. 3. b Sup. diss. 1. art. 8, 9. &c. 10.

#### SEXTVS